



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 4. Baptismus producit-ne eundem effectum in omnibus adultis illum suscipientibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



*De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 87*

Quartus effectus est consecutio, seu infusio omnium virtutum & donorum. *Manifestum est*, inquit Divus Thomas, quod per Baptismum aliquis consequitur gratiam & virtutes. D. Tho. 3. p. q. 69. art. 4. in corp.

Ultimus effectus Baptismi, est apertio januæ Regni cœlestis. *Dicendum*, inquit Divus Thomas, quod aperire januam Regni Cœlestis, est removere impedimentum, quo quis impeditur Regnum cœleste introire; hoc autem impedimentum est culpa reatus pœna; ostensum est autem supra, quod per Baptismum omnis culpa & omnis reatus pœna tollitur. Unde consequens est, quod effectus Baptismi sit apertio januæ Regni cœlestis. D. Tho. 3. p. q. 69. art. 7. in corp.

*Quest. 4.* Baptismus producit-ne eundem effectum in omnibus adultis illud suscipientibus?

*Resp.* Certum est, Baptismum non producere æqualem effectum in omnibus adultis, quia eum non recipiunt cum æquali dispositione. *Adulti verò*, inquit Divus Thomas, quia per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad Baptismum. *Quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt; & ideo quidam plus, quidam minus, de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus calor qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat.* D. Tho. 3. p. q. 69. art. 8. in corp.

*Quest. 5.* Quænam sunt bona, quæ nobis affert tertius Baptismi effectus, qui est restitutio innocentia?

*Resp.* Præcipua sunt duo. Primum est remissio totius pœnæ debitæ peccatis, unde ait Eugenius in Concilio Florentino: *Effectus Baptismi est remissio omnis pœnæ qua pro culpa*